

DIOMEDES CORNARIUS
LECTORI SALVTEM.



Vanuis nunquam in animum meum induxerim, typis aliquem Tractatum committere, ingenij mei tenuitatem agnoscens, quum præsertim ante me fuerint, & adhuc Autores multò me excellentiores existant, qui idem præstiterunt, & præstare possunt: Tamen ansam mihi præbente nobili ac clariss. viro, domino Laurentio Scholtzio à Rosenavv, Medico Vratislaviensi, qui licet de persona mihi ignotus sit, non in libro tertio editionis consiliorum medicinalium Ioannis Cratonis Medici q. Cæsarei, anno 1592. Francofurti impressorum, consilio nimirum vigesimo nono duntaxat, verumetiam nunc denudò, grata recordatione, in recenti editione sua modò præteriti anni 1598. consiliorum in folio typis excusorum honorificam mei nominis mentionem fecit, commotus fui tandem, vt & ego de consultationibus ac medicinalibus obseruationibus, pro medicinæ tùm candidatorum, tùm verò praxim medicam exercentium medicorum utilitate,

tate, quædam conscriberem ac prælo committe-
rem, quemadmodum superioribus temporibus,
ex veteribus Medicis BARTHOLOMÆVS MON-
TAGNANA, IOANNES BAPTISTA MONTA-
NVS, IOANNES MATTHÆVS GRADII, &c.
Ex recentioribus IOANNES CRATO, REM-
BERTVS DODONÆVS, Medici Cæsarei, HIE-
RONYMVS MERCVRIALIS, & alij, relinquendo
posteritati sua monumenta, eosdem labores co-
piosius, ac cum maiori autoritate susceperunt,
quibus me minimè comparandum censëo. Præ-
terea ad huiusmodi lucubrationes suscipiendas
IANVS CORNARIVS Medicus, parens quon-
dam meus piè defunctus, iamdudum mihi occa-
sionem, qui suis variorum Græcorum Autorum
translationibus, ac impressis orationibus Reipub.
literariæ permultum (libri loquuntur) profuit,
præbuisse debuisset, sed quòd tardius hoc quale-
cunque opusculum in lucem edere conatus sum,
quotidianæ occupationes meæ, quibus in visitan-
dis ægrotis aliquandò quasi obruor, facile me hac
in parte excusatum habebunt, quas visitationes
nunc ultra annos triginta tres patienter sustinui, ac
promptè adhuc sufferā. Nam anno ætatis meæ vi-
gesimo octauo, ante meam in Doctore medicinæ
promotionem, quæ ob sumptuum necessariorum
pro

pro Doctoratus gradu assequendo penuriam dilata fuit, Tirnaviæ in Hungaria medicinam facere coepi. Deindè elapso biennio Viennam rediens, anno Christi 1568. in medicinæ Doctorem promotus, atq; ad Facultatis Medicæ consilia receptus fui, in qua Facultate pro tempore erant Doctores medicinæ multi ante, & post meam promotionem accesserunt plurimi, quorum nomina subiungere operæ pretium duxi, nimirum:

FRANCISCVS EMERICVS.
 VVOLFGANGVS LAZIVS.
 MATTHIAS CORNAX.
 ANDREAS PLANCVS.
 LVDOVICVS KVNIG.
 MARTINVS STOPIVS.
 MICHAEL SPITALLER.
 CASPAR PERCHPACHIVS.
 LADISLAVS STVF.
 THOMAS HAVSTEIN.
 BARTHOLOMÆVS REISACHER.
 PAVLVS FABRICIVS.
 ELIAS ANHART.
 IOANNES AICHOLTZ.
 ANDREAS DADIUS.
 SEBALDVVS CAESAR.
 ANDREAS PRAVN.
 PAVLVS VVEIDNER.
 GEORGIVS VVALTHER.
 LAVRENTIVS AIREB.
 MICHAEL LINGL.
 BENIAMIN LÖBSCHVTZ.
 IOANNES NEYMAN.

LAVRENTIVS ZIMMERIVS.
IOANNES BRANDESIDES.
LYDOVICVS MARPEGIVS.
THOMAS IORDANVS.
CHRISTOPHORVS VVIDMAN.
DIOMEDES CORNARIVS.
BARTHOLOMAEVS CHRYSAEVS.
IOANNES RVCARDVS.
IOANNES SPORISCHIVS.
MATTHIAS LYBANVS.
ADAMVS PRETTERSCHEGGER.
CHRISTOPHORVS FETZ.
BENEDICTVS PERGER.
IOANNES KATZIVS.
ANDREAS EBERSTARFER.
MATTHAEVS IYDEX.
ANDREAS ISINGIVS.
ANTONIUS BINELLVS.
GEORGIUS MASBACHIVS.
CHRISTOPHORVS BYRGER.
EZECHIEL PIPERELLVS.
MARTINVS ISINGIVS.
IOANNES PETRVS MAGNVS.
IOANNES LEANDER.
IOANNES KASKIVS.
PAVLVS PERCKHOVER.
GVIDO ANTONIVS SCARMILIONIVS.
MATTHIAS RVDOLPHVS.
IOANNES GEVSIVS.
MARTINVS CVTIGIVS.
IOANNES BITNER.
DOMINICVS PISELLVS.
ISAAC PANISOD.
MARTINVS RAIGL.

Scripsi autem & collegi nocturno plerunque tempore has verè lucubrationes dictas, siquidem interdiu in his laborare mihi parumper vacabat, quum præsertim ab ineunte ætate mea ad nocturnas vigilias à natura assuefactus fuerim, in qua natiua mea consuetudine adhuc anno ætatis meæ sexagesimo secundo constanter perseuero. Edidit verò denominatus IANVS ille CORNARIUS libros complurimos, quos pro rei memoria, quantum mihi constat, subijciam. Itaq; Autores per IANVM CORNARIUM editi sunt, quos partim proprio Marte scripsit, partim aliorum Græca scripta in Latinum sermonem traduxit ac transtulit: Parthenius, Artemidorus, Constantinus Cæsar, Adamantius, Xenophontis, item Platonis symposium. Aliquot epigrammata Græca, Allegoria fabulæ Tantali, Sphingis, & Circes ex Psello. Epiphanius, Basilii, Synesius, Chrysostomus de præstantia Episcopalis ac sacerdotalis muneris. Hippocrates, Galenus, Aëtius, Paulus Ægineta, Dioscorides, Plato totus, in quem, ob parentis mei obitum, ACHATES CORNARIUS quoque Medicinæ Doctor, frater meus genuinus, præfationem scripsit, ac opus hoc vt inprimeretur, anno domini 1561. sollicitus fuit. Plutarchi aliquot libelli, reliquorum translationibus reuisis &

castigatis. Eiusdem Plutarchi libelli, vtrum aqua, aut ignis vtilior existat: De primo frigido: De Stoicis contrarietatibus: De placitis philosophorum lib. quinq;. Hippocrates Græcus, & Galenus Græcus, castigatissimi. Similiter Marcellus medicus Latinus antiquus castigatus. Dioscorides Græcus totus recognitus. Macer de re Medica lib. V. Libelli de peste duo. Medicina siue Medicus DROMEDI filio inscriptus liber vnus. Orationes duæ: altera Hippocrates siue Doct̃or verus: altera de rectis Medicinæ studijs amplectendis. Libellus de conuiuiorum veterum Græcorum, & hoc tempore Germanorum ritibus, moribus, ac sermonibus. Item de amoris præstantia, & de Platonis ac Xenophontis dissensione. Eclogæ decem in Platonem à Iano Cornario conuersum. Emblemata in Dioscoridem Latinum, singulis capitibus adiecta. Propemptica duo. In Paulum Æginetam doct̃or libellarum lib. VII. In Galenum *κατὰ τόπον* comment, Med. lib. X. *ἐπιγραφή* siue enumeratio vniuersæ rei Medicæ. Dissertatio de ciborum receptaculis. Oratio habita Basileæ in laudem Hippocratis. Oratio, cui titulus est: Quarum artium ac linguarum Medico opus sit. Oratio de obedientia. Oratio in laudem peregrinationis. Oratio habita Marpurgi in V. Doct̃orū promotione, anno 1549.

Orat̃

Orationes siue Fuchseides tres. Oratio habita Genæ super aphorismum Hippocratis 1. aph. 1. Vita breuis, ars longa, &c. Theodoretus imperfectè relictus propter obitum suum, quem ex Græca in Latiham linguam ad medietatē ferè operis istius transferre cœperat. Atq; hi sunt per IANVM CORNARIVM editi libri, & orationes. Porro plura, quàm viginti, consilia iuxta annorum natiuitatis Iesu Christi seriem, non corporis humani dispositionem, quorum consiliorum infinitus numerus foret, nec non medicinales obseruationes plures, quàm triginta tres, edendæ fuissent, quas propter temporum angustias, complurimas etiam ægrotorum visitationes, ac quotidianas morborum variorum curationes, annotare nunc haud licuit. Has verò breues quidem ac exiguas lucubrationes meas, vix tamen inutiles, si amice Lector tibi gratas, acceptasq; esse animaduertero, diligentem nauabo operam, vt si diutius, largiente Deo Opt. Max. superstes vixero, futuro tempore prolongentur, ac auctiores reddantur. Vale.

Epigramma

Dn. CHRISTOPHORI
 PIRCHAIMERI VIENNENS. I.C.
 COMITIS, ET CONS. CAESAREI,
 EIVSDEMQUE AVSTRIAE
 CANCELLARII.

*Scilicet ut semen præbens (vel iudice Momo)
 Enatæ segetis nobilis Autor erit.*

*Sic quoque per nostram celebris CORNARIUS urbem
 Exemplum sequitur patris in arte sui.*

*Dum varios casus, dum seu pericula vitæ
 Morborum exquirat, consulitque malis.*

*Expertus Medicus: tristis relictus ut æger,
 Transigat & vitæ secula longa suæ.*

*Qua nihil in toto censetur charius orbe,
 Gloria nec maior rebus inesse potest.*

*Quis dubitat? tantæ, quin clarus in arte medendi
 Enatæ segetis, messis & Autor erit?*

CARMEN

ad Autorem, Librum, & Zoilum.

*V*Ita hominis brevis est, longæque Machaonis artes,
Fallit & incautos rerum non providus usus.
Nos miseri sumus ergo homines, quos labilis ætas
Heu citò deserit, nulla medicabilis arte,

Deficit:

9
Deficit : ars etenim profugis non discitur annis :
Et brevis expertos, certosq; hand efficit vsus.
At natura tibi longæuos contulit annos,
Artem ætas firmam, longa experientia certam,
Ægro pellendi morbos è corpore normam
Observata diu, multaq; exercita praxi.
Pharmaca nunc alios, vt prosis, pharmaca multis.
Profectura doces CORNARI, hoc tradita libro
Enferet ætatem, totoq; legetur in orbe
Hic liber, & sero clarus celebraberis æuo.
I liber, & quocunq; libet spaciare, placebis
Vtilis ægrotis, gratus medicantibus ægros.
Et tu, cui dens est aliorum rodere libros,
Zoilæ, si potis es, mordeto hunc inuide librum.

VVolfgangi Schvvanseri
I. V. D. Sacræ Rom. Cæs.
M^{is} Consiliarij, & fisci in
Austria Aduocati.

A D L E C T O R E M.

T V quicunq; diu cupias producere vitam,
Hunc cè nouum Medici volue, reuolue librum.
Proderit & sano, quin & tibi proderit ægro.
Ex hoc humores curat vterq; suos.
Vt sanus possis validas in corpore vires
Seruare, vt morbos præq; cauere graues,

*Vt quoque collapsis succurrere viribus aeger,
Et possis longos inde videre dies.
Plura hic inuenies, si singula mente notabis,
Hunc igitur Lector volue, reuolue librum.*

Stephanus Schlachter.
I. V. D.

IN CONSILIORVM MEDICI-
NALIVM OBSERVATIONES, &c.
DIOMEDIS CORNARI,
PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE
Doctōris, serenissimī Principis, domini MAXIMI-
LIANI, Archiducis Austriae, &c. Archiatri,
Machaon Podalyrius I O A N.
HELLER I V. I. D.

*V*iderat e caelo, quò cesserat antè, Machaon
Æsculapiadem surgere progeniem.
Perq̃, sacros docti Podalyrius iuerat hortos
CORNARI, aspexit florea prata senex.
Æsculapiacum video ingenium, mirorq̃, Machaon
Inquit, Diuinum hoc, quod probo, surgit opus.
Conspicor & salubres ego quos Podalyrius hortos,
Archiatro cultos auguror esse Deo.
Namq; omni morbo hæc cuius medicina dolori
Medetur, fert, quam postulat aeger, opem.

I liber

*I liber ergò, aiunt Podalyrius, atq; Machaon,
Per mundum, æterna hoc consilium, ingenium.
Tuq; vbi CORNARI satiatus viuere mundo,
Nobiscum æternus tertius esto polo.*

HEXASTICHON.

HÆtenus elapsus te felicissimum ab annis
CORNARI, Medicum, clara Vienna habuit,
Austria tota etiam Medicum venerata peritum est.
Sensit enim vires Austria tota tuas.
Pristinam vt & Medico te senserat integritatem,
Ægra malis morbis obruta sæpè cohors.
Nunc Italis, Gallisq;, vt finibus omnibus ægris
Pharmaca, consulto tradis habere libro,
Qui varios iusto complectitur ordine morbos,
Quoq; medela docet quæ tribuenda loco.
Ex quibus æternum nomen, decus atq; secutus,
Iam scriptis toto viuis in orbe tuis.

Iacob Scholtz.
L. V. D.

IN CONSILIA MEDICINA-
NALIA, ET OBSERVATIONVM MEDICINA-
lium præmeditationes, clarissimi viri domini
DIOMEDIS CORNARIJ, Philosophiæ &
Medicinæ Doctoris, serenissimi Archiducis
Austriæ D. D. Maximiliani, &c.
Archiatri.

CARMEN EXTEMPORANEVM
Hieronymi Arconati Leorini, sacre Cæs.
M^{ris} Secretarij bellici.

*Q*uod Deus omnipotens miseris mortalibus inter
Cætera dona dedit, nullum, me iudice, maius,
Vilius nullum, Medicinæ quàm sacer vsus.
Hæc etenim infirmo pulsus de corpore morbis,
Assidue quibus, heu, varieg. affligimur omnes,
Per multos hominum vitam prolatat in annos.
Nec finit ante diem quemq. succumbere letho.
Diuinum ô munus diuini numinis: aſt hoc
Non cuius temerè concessum, non licet omni
Esse bonum Medicum, tantasq. Machaonis artes
Exercere: procul leuis indè faceſſat Agyrta,
Nititur & nulla quicunq. Empiricus arte,
Nullo iudicio qui pollens, pharmaca conflat
Intellecta sibi nunquam, ipſe egroq. propinat

Euen-

Euentum in quemuis, precium modò turpe frequenter
 Auferat impostor, ventrem quo pascat inertem.
 Vult medicina virum, qui præditus indole pulchra,
 Longum multiplici doctrinæ miscuit vsum,
 Quicq̃ salutaris dubijs in rebus abundat
 Consilio, & nil non certa ratione, modoq̃
 Aggreditur Medicis seruato ritè vetustis.
 Talem se præstat nostro CORNARIVS æuo,
 Hic patris IANI DIOMEDES filius aulæ
 MAXMILIANE tuæ, Princeps generose, per annos
 Complures magna notus cum laude, priores
 Austriacisq̃ tenens nunc partes clarus in oris.
 Zoile fugillas? præsentem volue, reuolue
 Seposito liuore librum, lege mente fideli,
 Protinus experiere, minus me falsa locutum,
 Moxq̃ nouum mecum Autorem celebrabis, honore
 Afficies meritò, & mecum vehementer amabis.

EPIGRAMMA

ad nobiliss. clariss. excellentiss. D.D.

DIOMED. CORNARIUM,
 dominum & amicum honoran-
 dum.

QVas Hygiea suis & opacis Phœbus in umbris
 Arcano dudum deposuere penu.

C 3

C 3

Promit

Promit inexhaustas medicæ CORNARIUS artis
 Collegit gnauæ quas apis instar, opes.
 Diceris à CORN V hinc, CORNARI, COPIÆ: & vsus
 Tot medicis gazis vberioris eris:
 Si quod in occulto tenet experientia claustro
 (Clàm regit imperium namq. dñi π des suum)
 Depromes etiam vltterius, sed fortè laboris,
 Et studij merces quæ mibi dicis? honor.
 Hoc etenim gestis, vt nomine MAXIMILIANVS
 Maximus, & merito te beat aula tuo.

TOBIAS COBERVS
 Med. D. Phys. Castren-
 sis honoris, & amoris ergo
 scripsit.

EPIGRAMMA

Ad pium Lectorem.

I
 Scripsit Aristoteles Sophicas feliciter artes,
 Congessit leges Baldus & ipse sacras.
 Vt nedùm ancipites Iuuenis dissoluere nodos,
 Sed queat & verbis tangere verba suis.
 Ac vel sollicitos defendere iure clientes,
 Vel saltem haud causæ velle deesse suæ.

Cernis

Cernis idem Lector *DIO MEDEM* intendere nostrum,
 Dum tibi consilijs promptus adesse suis.
 Dumq̃ docet tristes possis tu quomodo morbos,
 Atq̃ simul calidas arte fugare febres.
 Ne vel opus tepidis tibi sit requiescere lectis,
 Vel rumpat vitæ stamina Parca tue.
 Vtere consilijs igitur *CORNARI* honesti,
 Et verè clari cognitione viri.
 Quem Medicus Medicum genuit, Græcusq̃ Pelasgum,
 Doctor Doctorem, filiolumq̃ pater.
 Cui Cygnæa suis acclamat candida cygnis,
 Ipsumq̃ ex puro dicit ijsse thoro.
 Dic agat annosi *DIO MEDES* Nestoris ævum,
 Ac pro det plures posteritate libros.
 Consilijs eius freti superabimus illos,
 Quos homines mundus credidit esse senes.

I L

Aliud.

 A D E V N D E M L E -
 C T O R E M .

Q Visquis es ignorans operis quis fortè sit huius
 Autor, & impressi dulcis origo libri:

Perlege

Perlege præsentem recta ratione libellum,
 Et quid is intendat, qui dedit ista, vide.
 Vir bonus est Autor, fama super æthera notus,
 Acceptus Ducibus, Principibusq; viris.
 Nomen habet docti DIOMEDIS æquum quondam
 Qui docuit Iuvenes, doctiloquosq; senes.
 A patre at Medico dictus CORNARIUS ipso,
 Incepit primum quando videre diem.
 Cygnæa expulsus vacuas quum ferret in auras,
 Atq; daret puero nomina vera suo.
 Iam verò Austriacis DIOMEDES claret in oris,
 Inter & est magnos, Sol velut ipse, viros.
 A quo flammigeræ capiunt sua lumina stellæ,
 Quem sequiturq; suam stellula quæq; ducem.
 Dum nedum Archiducis Medicus versatur in aula,
 Sed curat corpus MAXIMILIANE tuum.
 Siue domi sedeas, rigidis seu miles in armis,
 Iactes in senos Martia tela Getas.
 Dum quoq; Cesareo pars non postrema Lyceo,
 Inter & est Medicos, duxq; caputq; suos.
 En tibi consilium communicat vtile Lector,
 Quo possis multos hinc superesse dies.
 Vtere consilio, monitis insiste Catonis,
 Et longè Pyllo Nestore maior eris.
 Proderit ipse liber tibi, si rectè vtere libro,

Si malè:

Si malè: sulphureas missus inibis aquas.
Quas apud haud Cressis extinctum Æsclepius herbis,
Restituit patrijs Androgeona focis.
At ubi funesti potius sedet Arbiter Orci,
Iudicat ac animas, lege monente, suas.
Plures ipse dabit libros, si vixerit annos
Plures, ac gratos nouerit esse libros.
Quos nedium voluas obiter, sed sciueris vti,
Cum tempus, vel res postulat ipsa. Vale.

Epigramma III.

IN ZOILVM MORDA-
 CEM AC GRAVISSIMORVM
 Autorum Osorem.

*L*uide vulnifico frendes cur, Zoile, dente,
Cum videas doctos edere scripta viros?
An quod stipes iners, simul ac insissile lignum,
Mercurius formam cui negat ipse suam?
An quia Pæonias didicisti rectius herbas,
Queis queat Hippolytus surgere morte pius?
Zoile dic Medica tu quot sanaueris arte?
Quotquot lethiferas sustulerisq; febres?
Alter Apollo mihi, Chiron eris alter, & Alcon,
Quem voluit Medicum Claudius esse suum.

D

Sed

*Sed quia vix tepida potes è fornace catellum
 Pellere, Mome tuis, claude labella, volis.
 Sæpè per Austriacas specimen CORNARIÛ s vrbes
 Edidit, Archiduces, restituitq, Duces.
 Cen DEVS effecit sanis Epidaurius herbis,
 Possset vt hic patria rursus ouare domo.
 Ille per incautum, posita pleuritide, mundum
 Lætus & ad metas Herculis ire duas.
 Quod si diffidis? Tonsores consule, lippos
 Percipe: confusus Zoile stulte sile.*

M. PETRI HOFMANNI

Scholæ ciuilibis apud S. Steph-
 anum Viennæ Austriæ Rectoris,
 nec non in Archigymnasio ibi-
 dem Professoris publici Poëscos.

EPIGRAMMA

ad Lectorem.

*CORNARIÛ M nescis? nosces, sua perlege scripta:
 Est Regi notus, notus & Archiduci.
 Hic reliquos inter Senior tenet ordine primas,
 Quos numerat Medicos culta Vienna graues.
 In commune bonum vigilat Pater optimus artis,
 Posteritas grates officiosa dabit.*

Aspice

Aspice, quòd senio summo confectus in arte
Perfecit Medica, iure probabis, opus.
Inspice præsentem recta ratione libellum,
Aut hunc, aut similem scriberet Hippocrates.
Tempora quos tulerint morbos, quæpharmaca, cernes.
Non dubito, ex viso pignore diues eris.
Viueret ô Pylj longos feliciter annos,
Qui vitam, multis Victor in arte, ded'it.
Hæc Gener in meritum Socero conscripsit honorem,
Quem Superi saluum, ceu mea vota, velint.

IACOBI VISCHERI

sacre Cæsareæ M^{tis} apud
 Austriæ inferioris Came-
 ram, à ministris,



D 2

CATA-

C A T A L O G V S

Clarissimorum virorum, quorum nomina pro-
pter communicata nobiscum consilia in hoc
Tractatu inserta sunt.

- D. ALEXANDER TRALLIANVS Med. Græcus.
 ANDREAS DADIUS Medicus Viennensis.
 ANDREAS EBERSTARFER Austriacorum Prouincialium
 Physicus ordinarius Viennæ.
 ANTONIVS BINELLVS Professor Med. Viennensis Archi-
 gymnasij.
 BENIAMIN LÖBSCHVITZ primarius artis Med. Vienn. Pro-
 fessor.
 BARTHOLOMÆVS PARAVICINVS Matthiæ Archiducis
 Austriæ personæ Physicus.
 BENEDICTVS PERGER Matthiæ Arch. Austr. aulæ Medicus.
 CASPARVS PIRCHPACHIVS Medicinæ Prof. Viennæ.
 GALENVS PERGAMENSIS.
 GEORGIVS VVALTHER Medicinæ Professor Viennæ.
 HIPPOCRATES COVS.
 HIERONYMVS STROMAIR Med. Cæs.
 IVLIVS ALEXANDRINVS Med. Cæs.
 IOANNES CRATO Med. Cæs.
 IOANNES AICHOLTZ Med. Viennensis.
 IOANNES MARIA Neapolitanus Ernesti Archiducis Austriæ
 personæ Med.
 IOANNES PETRVS MAGNVS Italus, Med. Prof. Viennæ.
 OCTAVIANVS ROBORETVS Marchionis à Burgau, &c.
 Physicus.
 PAVLVS VVEIDNER Hebraicæ linguae Professor.
 PETRVS MONAVIVS aulæ Cæs. Med.

Fit præterea etiam adhuc duorum in hoc Tra-
 ctatu, quorum nomina adnotare huc libuit, ni-
 mirum

- BARTHOLOMÆI QVARINONII, &
 IACOBI SCYTELLARII, Cæsareorum Physicorum
 mentio.

CON-